

38

licet in domesticorum, amicorumque, qui in Palatio habitabant, cædibus, tamen iis, quæ subdit Herodianus, minime convenit; ait enim: Porro ipsa cadavera plaustris omnibus per contumeliam imposita, aut extra urbem exportata, acervatim, aut temere injecta rogis comburebantur: nec quisquam superstes fuit ex iis, qui levem modo cum Getâ notitiam habuissent. Athleta etiam, & aurigæ, atq: omnifariam histriones, & quidquid denique, vel oculis illius, vel auribus jucundum fuerat, passim occidebantur. Præterea Senatorii Ordinis quicumque aut nobilitate, aut opibus excellerent, minimâ quâque de causâ, vel plane nullâ, quantumlibet levi delatione, pro illius amicis interimebantur; Quin & Commodi sororem jam anam, atq: ab omnibus Imperatoribus, ut Marci filiam oportuit, magno in honore habitam morte affecit, caussatus, quod Getæ necem apud ipsius matrem deservisset. Jam vero mirum videri non poterit, Antoninum, Deo gladium, quo Getam interemerat, consecrare autum esse, quod ex Dione, & Zonara constat. Propius tamen ad rem nostram ex Dione, coævo Scriptore, & ipsius Severi dudum familiari, Xiphilinus, cujus auctoritate usus fuit l. l. Fabrettus, postquam Caracallæ crudelitatem in eos, qui vel minimam cum fratre notitiam habuissent, descripsit, ait: Capitale enim fuit, si quis vel solum nomen Getæ scripsisset, aut pronunciaffet, adeo ut ne Poetæ quidem eo nomine in comædiis deinceps uterentur, fuereque proscripita bona eorum omnium, in quorum testamentis id nomen inventum est scriptum. Et, ni fallor, aperte, quod jamdiu ex vetustis Scriptoribus elicere conamur, in Excerptis Valelian. traditur pag. 747. Sed, & odii sui (Caracalla) etiam in mortuum fratrem specimen dedit, sublatis ludis, qui natali ejus fiebant: Succensebat & SAXIS, quibus ejusdem imaginis ac faruæ impositæ fuerant: monetam præterea illius imagine signatam conflavit. Dispeream, si his ponderatis ullus rerum æquus æstimator Getæ nomen erasum neget. Neque enim turbant, quæ ex eodem Spartiano adducit Fontaninus, quod nempe fleverit Antoninus, quotiens Getæ imaginem videret, & quod eundem inter Divos retulerit; Nam si recte perpendatur tota Caracallæ, Getæque historia a Spartiano conscripta, erit luce clarius Caracallam statim post interfectum Getam omnia in eum efferati odii signa dedisse, ut supra demonstratum est: demum tumultuantibus populo, militibusque, in fanius abiisse consilium, placandi nempe ignaros plebis, militumque animos; proinde Getam inter Divos retulisse. Utiq:

non